

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Gesammelte Schriften

Philologische Schriften

**Mommsen, Theodor**

**Berlin, 1909**

XVI. Analecta Liviana

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1925](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-1925)

XVI.

Analecta Liviana

Ediderunt

Th. Mommsen et G. Studemund.\*)

I. Codicum Livii quattuor antiquissimorum  
exemplaria photolithographica.

I. Quattuor abhinc annis cum in actis maioribus Academiae 1 Berolinensis (a. 1668 p. 29—216) [s. oben S. 96 ff.] annalium Liviatorum libri III—VI quae in codice rescripto Veronensi supersunt fragmenta a me descripta ederem, scripturae specimen nullum addidi; illo enim tempore eo carebam neque donec pararetur librum retinere volui. Iam vero postquam optimi viri mihi amicissimi Caroli Giuliarii ecclesiae cathedralis Veronensis canonici et bibliothecarii saepe ante a me laudata liberalitas et munificentia intercedente Studemundo hoc quoque mihi concessit, ut exemplum photographicum paginæ codicis eius fieret, id supplementi loco cum iis communicare placuit, quorum haec intersunt, quamquam ductus in ipso codice admodum evanidi in hoc exemplo parum apparent. Selegi quae leguntur in codicis folio ut nunc numerantur 278 recto, cui adhaeret pars folii 279 versi: quae folia respondent Livianis in eo codice superstitibus 38. 39, editionis meae p. 70. 71 continentque quae in editionibus nostris leguntur l. 3 c. 64, 5 ad c. 65, 4. Tabulam (I) insipienti ut item apographum praesto esset, subieccimus tres ad quas pervenit scripturae ordines; medii tamen latentis sub recenti scriptura in tabula vestigia nulla fere comparent et reliqua quoque aegre admodum in ea leguntur.\*\*)

\*) [Lipsiae. Apud S. Hirzel 1873. Die von Studemund verfaßten Abschnitte werden hier nicht wiederholt.]

\*\*) [Die Facsimiles dieser und der bei II. III. IV genannten Hss. sowie das im Text erwähnte apographum sind hier nicht wieder abgedruckt worden, ebensowenig die bei II genannten Subscriptionen.]

3 Hac occasione oblata visum est etiam reliquorum trium librorum Livianorum qui hodie extant litteris quadratis exarati scripturam repraesentare, scilicet tertiae decadis libri Parisini 5730 olim Puteani, quintae decadis libri Vindobonensis, denique libri XCVII palimpsesti Vaticani; nam palimpsestus Taurinensis, de quo in hisce Analectis exposuit Studemundius, tam male habitus est, ut de eiusmodi imitatione desperandum sit. De singulis tabulis pauca addam.

II. Puteani libri dedimus locum ex libro XXI c. 21, 6—13. Addo quae Paulus Krueger, quo curam agente photographia sumpta est, simul de eius libri scripturae proprietate a me rogatus adnotavit neque *m* et *n* litteras lineola repraesentari neque litteras contignari nisi in versu extremo, item in syllabis dividendis scriptorem eandem in summa re legem secutum esse de qua exposui Veronensem enarrans: exempli causa verba sic diremit: *fac|ta, pac|tis, profec|tus — ag|mine — mag|no — cap|ta — his|paniam — ip|se, sump|sit — ades|tis, hosti|, vestra*. Idem Kruegerus observavit singulis libris emendatorem subscriptissime aut *recognobi Abellini* (l. 21. 24. 25) aut *recognobi ubis* (l. 23) aut *recognobi uos* (l. 22) aut *recognobi* (l. 26—30), quarum subscriptionum hic subiecimus quinque priores [...].

Libri XXIII subscriptio diversam manum prodit, reliquae ab eadem sunt, quae item passim in ipso libro cernitur. Legit illam Hauptius sic: *recognobi ubi s(upra)*, simile quiddam item latere opinatus in subscriptione libri XXII.

III. Vindobonensis libri repraesentavimus et eam paginam, quae complectitur principium l. XLV, et voluminis extremam. Hanc cum conferrem cum editionibus, aliquot elementa in ea apparuerunt in editionibus aut praetermissa aut non recte relata. Sic enim ad ectypum legi:

4 CIRCAURBEM · XXXAUTAMPLIUSDIESI—  
REGNUMESTPROFECTUSACTUMQUEI—  
ASIABellum///TER//NETGalloS  
IND//

TITI      liui

aBURBECONDITA

iste codex est theutberti epi de dorostat.

LIB xlu exp  
INC · LIB. // FELICITER

Plerique qui librum contulerunt cum finiant in vocabulo *actumque*, verba *in Asia bellum* agnovit Kopitarius, confirmantque ea et ectypum et amici Conzius et Hartelius, qui mea causa codicem identidem inspexerunt. Post hiatum tredecim fere litterarum, in quo literarum TER vestigia quaedam parum certa Conzius agnovit, de iis quae sequuntur NET GÀLLOS | IND mihi ectypo inspecto dubitatio nulla remansit, amici in ipso codice legerunt alter MÖNET GÀLLOS | IN, alter UREI (vel T) | | | LOS | IND | | |. In fine quot litterae desint, non appetet, sed versus qui incipit IND videtur fuisse huius libri extremus cuiusque pars posterior scripta non esset. Hartelio tamen paenultimus magis fuisse videtur, ut qui sequebatur totus evanuerit. — Videtur igitur Livius librum finivisse verbis his fere: *actumque in Asia bellum [in]ter [Eumene]n et Gallos ind[e coepit]*. Locutionis *bellum agere* exempla composuit Nipperdeius spicil. crit. in Nepotem p. 69. Ad rem quod attinet, de origine belli inter Eumenen regem et Galatas gesti Polybius exposuit ad Ol. 153, 1 = a. u. c. 587, quo pertinent ex reliquiis eius l. 30, 1—3, ex Livianis 45, 20, 1. Idem anno sequente Ol. 153, 2 = a. u. c. 588 postquam de regis Prusiae in urbem adventu ea rettulit, quae respondent Livianis l. 45 extremi, quamquam hic eum adventum ad annum 587 enarrat, mox (30, 20 [17], 12) mentionem facit μεγάλον ἵπο τῶν Γαλατῶν ἐπιχειμαζένον κιρδόνον τῇ βασιλείᾳ. Bellum autem illud Eumenes non cum Gallis solis gessit, sed quodammodo etiam cum rege Prusia; certe a. 590 legati Prusiae regis questi sunt de Eumene, quod fines suos popularetur neque Gallos lacessere desineret (Liv. ep. 46; Polyb. 31, 6), itemque a. 591 Gallos adversus Eumenen concitasse dicitur (Polyb. 31, 9), similiterque a. 594 Prusiae regis legati cum Gallis Romam veniunt ad accusandum Eumenen (Polyb. 32, 3, 1. c. 5, 5). Anno denique 603 Attalus rex Eumenis successor palam bellum gerit cum rege Prusia (Polyb. 3, 5, 2). Prusias igitur, etsi postea demum ipse contra Pergamenos arma movit, Galatarum causam ab ipsa inde eorum defectione ita amplexus est, ut redditus eius in regnum inter proximas causas belli Galatici recte omnino referatur nec sine idonea ratione utrumque Livius coniunxerit.

Praeterea subscriptio postea adiecta a libri domino adhuc nec plene lecta est nec recte. Vahlenus enim inde non agnovit nisi extrema *de dorestat.*, Endlicherus (catal. codd. phil. Lat. bibl. Pal. Vind. p. 49 seq.) quique Madvigii causa librum recognovit *sutberti epi de dorostat*; unde Endlicherus collegit scripsisse haec sanctum Suithbertum monachorum Scotorum unum ex Hibernia in Germaniam

saeculo VII translatorum christianaequae fidei apud Frisos primum apostolum, quem Dorostadii per biennium praedicasse vita eius tradit. At eam vitam commenticiam esse constat et alia quoque opponi possent, si operae pretium esset in coniecturis morari, quarum fundamentum nullum est. In photographia enim, in qua litterae aetate obscuratae clarius fortasse quam in ipso codice cernuntur, et ego vidi videruntque Jaffeus et Hauptius scripta esse litteris saeculi circiter octavi haec: *iste codex est Theutberti epi de Dorostat.* De ea subscriptione Jaffeus meus paucis diebus antequam litteris amicisque eriperetur in epistula, quae omnium ab eo ad me datarum postrema fuit, monuit Dorostati, id est *Wyk by Duurstede* ad flumen Leck, episcopum nullo tempore sedem habuisse videri, at Ultraiectum in diplomate Caroli magni a. 777\*) appellari 'Traiectum vetus subtus Dorestado' itaque Theutbertum illum probabiliter quaerendum esse in laterculo episcoporum Ultraiectinorum. Reperiri autem ibi sub finem saeculi VIII, ab a. fere 785 ad 791, episcopum dictum Theodardum, pro quo nomine sibi videri restituendum esse ex codicis subscriptione Theutbertum. Muellenhoffius praeterea admonuit me presbyteri eiusdam scholae Ultraiectinae nomine Thiatbrat saeculi octavi commemorati apud Altfridum in vita S. Liudgeri c. 15 (mon. Germ. 2, 409). Promiserat Jaffeus in Analectis his, quae eo tempore parabam, de universa quaestione, quam subscriptio codicis suscitat, se diligenter disputaturum; sed promissis quominus stare, infelix fatum prohibuit, estoque hoc quoque desiderium inter tot alia, quae carum caput illud amicis reliquit.\*\*)

IV. Libri denique palimpsesti Vaticani Palatini n. 24, qui annalis Liviani XCI partem servavit post alios a me editam ad calcem codicis Veronensis p. 207 seq. [s. o. S. 147\*\*], adieci exemplum photolithographicum paginae ex quattuor quae supersunt tertiae superioris (p. 211 ed. meae) factum ad photographicum, quod ut mea causa fieret, eius bibliothecae praefecti benigne permiserunt.\*\*\*)

\*) [Mon. Germ., Dipl. Carol. 1, 164, 12.]

\*\*) [Die Subscription ist seitdem genau behandelt worden von M. Gitlbauer, De codice Liviano vetustissimo Vindobonensi, Vindob. 1876, S. 2—21, und von W. van Hooff in den Analecta Bollandiana VI, Paris-Brüssel 1887, S. 73—76. Vgl. auch L. Traube, Paläograph. Forsch. IV, München 1904, S. 17. Das Problem ist noch nicht endgültig gelöst.]

\*\*\*) [Es folgt S. 6—31: II.

De Livii palimpsesto Taurinensi  
von Studemund.]

III. Codicum octoginta duorum Livianorum  
decadis tertiae specimen.

Postquam Heerwagenus edita 'commentatione critica de T. Livii 32 26, 41, 18—44, 1° (Norimbergae 1869. 4) demonstravit decadis crisin pendere a duobus libris auctoritatis aut paris aut supparis Puteano et Spirensi confirmaruntque eam demonstrationem et Carolus Halmius folio uno libri deperditi Spirensis felici casu recuperato (v. acta minora academiae Monacensis a. 1869 p. 580—584) et Gulielmus Studemund reliquiis librorum XXVII et XXIX in lucem prolati (supra p. 6—31) ex codice palimpsesto Taurinensi quibusdam locis cum Spirensi contra Puteanum consentiente, operae pretium visum est reliquorum eius decadis codicum examine instituto periculum facere, quatenus eorum ope libri Spirensis iactura resarciri possit. Neque enim Spirensis libri notitia tota comprehenditur folio illo uno hodie adservato in bibliotheca Monacensi, quod pervenit a 28, 39, 16 *ita videtur* ad 28, 41, 12 *quid periculi*, iisque quae ex eo enotavit qui post renatas litteras unus eum adhibuit Beatus Rhenanus a fine libri XXVI ad principium l. XXX (plura enim Rhenanus certe in eo non repperit). Immo etiam vulgati libri quidam ea ipsa additamenta easque ipsas lectiones exhibit, quae Spirensi propria sunt, restatque indagandum, quinam ii libri sint et quaenam eorum cum Spirensi coniunctio, a qua indagatione nemo est quin videat crisin decadis tertiae iam vel maxime pendere. Selegi igitur locos duos maiores, 27, 33, 5 *P. Sulpicius* — c. 34, 14 *taliaque arguentem* et 28, 39, 16 — c. 41, 12 eum, quem ex Spirensi modo dixi superesse, item minores aliquot 26, 41, 18 — 26, 48, 7 — 27, 20, 9 — 28, 13, 10 — 29, 6, 5 — 29, 28, 8 peculiaribus Spirensis lectionibus insignes, eosque ad eos codices, quorum mihi copia fieret, recognovi. Contuli ipse Berolinensem n. 8 et Lugdunensem n. 12; contulerunt mea causa Parisinos (P et n. 1—7) Carolus Morel, Monacenses (S et n. 9, 10) et Bambergensem (n. 9) Carolus Halm, Norimbergensem (n. 11) Henr. Gul. Heerwagen, Guelferbytanos (n. 13, 14) Otto ab Heinemann bibliothecarius, Dresensem (n. 15) Schnorr a Carolsfeld item bibliothecarius, Vindobonenses (n. 16—21) Gulielmus Hartel, Oxonienses (n. 22—25) Maximilianus Mueller, Cantabrigiensem (n. 26) Henricus Bradshaw, Londinienses (n. 27—33) Gulielmus Wright, Venetos (n. 34, 35) Edmundus Hedicke, Florentinos (n. 36—51) et Senensem (n. 52) Aeneas Piccolomini, Neapolitanos (n. 53, 54) Gulielmus Corssen, Romanos (n. 55—73) alios

Rud. Schöll, alias Iustus Jeep, Lipsiensem (n. 74) Rudolfus Hirzel, Augustanum (n. 75) Fr. Mezger, Matritenses (n. 76—81) Aurelianus Ferdinandus Guerra, Sangallensem (n. 82) Henricus Reimer. In bibliothecis Taurinensi Ambrosiana Angelicana aliisque pluribus amici de ea re interrogati huius generis codices extare negaverunt. Illis viris optimis eruditisque, qui mea causa libros inspexerunt, et ego ex intimo corde gratias ago et agent opinor quicumque his utentur; nam ut hasce copias non mihi paravi, sed Liviani operis recognitoribus futuris, ita et ipsae non tam meae sunt quam amicorum, neque aliam praedicationem eo nomine appeto nisi fortasse felicitatis, quod amici mihi sunt tam in patria quam apud exterorū plurimi et praestantissimi.

Varia lectio haec ad orthographica non respicit exceptis duobus libris primariis Puteano et Spirensi.\*)

69 Haec trado iis, qui Livium aliquando ita recognoscent, ut recognoscatur oportet auctor historiae Romanae inter Latinos longe primarius, sed nihilominus ut ingenio cum aliorum tum Madvigii praeclare expurgatus, ita in decade certe tertia adhuc iusto apparatu destitutus. Erit spero inter gnavos adulescentes, qui saepe hodie quid agant pro bono communi circumspiciunt et a magistris exquirunt, qui hoc specimine incitatus ad ipsum negotium sese accingat.\*\*) Equidem opitulari volui crisi Livianae, non in ea facienda, quae meae vires sunt, ipse operam collocare. Nihilominus pauca adiciam, quo quid his copiis profectum esse videatur aliquatenus certe appareat.

Medio aevo qui Livii decadem tertiam descripserunt, pependerunt omnes a codicibus duobus, Puteano et Spirensi<sup>1</sup>, quorum ille dudum

\*) [Der nun folgende 'conspectus librorum' und deren varia lectio (S. 34—68) sind hier nicht wieder abgedruckt worden.]

\*\*) [Die Aufgabe löste, Mommsens hier gegebenen Anregungen folgend, A. Luchs, Livi libri XXVI—XXX, Berol. 1879. Infolge genauerer Collation der Hss., als sie Mommsen zu Gebote stand, sind dort zwei Einzelheiten korrigiert worden; da aber nach Luchs' eigenem Zeugnis p. IIII Mommsens Scharfblick den richtigen Weg gewiesen hat, so schien es wünschenswert, auch die folgende Darlegung zum Abdruck zu bringen.]

1) Sane fieri potest, ut quae iam indicabuntur cum Spirensi conspirantia non ex ipso venerint omnia, sed ex libro aut archetypo eius aut gemello. Sed pro ea quae adhuc est librorum Livianorum notitia hodie otiosum est talibus immorari.

ante quam hic innotuit. Discedunt igitur libri reliqui in summa re in duo genera, descriptorum ex solo Puteano eiusve exemplaribus et eorum, qui plus minus traxerunt ex Spirensi. Illud autem genus ipsum bipertitum est exemplarium sincerorum et interpolatorum. Ad illud pertinent libri antiquissimi quique, imprimis n. 66 Vaticanus Reginae n. 762 saec. IX; n. 9 = Bambergensis et n. 36 Laurentianus uterque saec. XI; n. 1 = Parisinus saec. XII, omnino quotquot superant saeculum XIII. Huius tamquam mala nota est insignis interpolatio loci in Puteano hiantis 26, 41, 18, quae vocabulum *armaverat* expulit et futili additamento hiatum celavit. Haec omnia missa facimus; neque enim utilitatem ullam habent praeterquam quod apographa illa antiquissima eam partem Puteani explent, quae antiquis descriptoribus praesto erat, hodie vero desideratur. Nobis videndum est de Spirensi et hoc aliquatenus certe demonstrandum, quibus modis ex codicibus deterioribus Spirensis lectio, ubi neque ipse superest neque Rhenani de eo testimonium suppetit, erui possit. Qua de re haec potissimum tenenda sunt.

1. Nullus liber extat aut certe inter adhuc examinatos nullus repertus est, qui Spirensem librum accurate et plene reddat. Exempli causa 26, 48, 7 lectio Spirensis libri *que tectus classis* corrupta ea, sed ut a vero *praefectus classis* proprius absit quam Puteani lectio *que classis*, in nostrorum librorum nullo comparuit. Itaque quos mox videbimus Spirensem librum aut contulisse aut descripsisse, conferentes non adnotaverunt quae inutilia sibi viderentur, describentes 70 autem cum alterum exemplum vulgare item praesto haberent, in locis vitiatis passim hoc praetulerunt.

2. In margine codicis Laurentiani LXVIII, 21 saec. XIII, nobis n. 37 quae leguntur, profecta sunt ex codice Spirensi. Exempli causa 28, 41, 8 cum pro vero *accingeris* Puteani in Spirensi sit *haec ingeris*, id ipsum adscriptum est ad cod. 37, neque eius lectionis vestigia praeterea reperiuntur in nostris nisi in tribus libris 55 sive Vaticano 1847 saec. XIII, 48 sive Laurentiano LXXXIX inf. 3<sup>2</sup> saec. XV, 63 sive Palatino 876 saec. XV.\*). Ex hisce Vaticanus cum a prima manu habeat *hec ingeris accingeris*, aperte fluxit ex libro Laurentiani simillimo, cuius et primariam et secundariam lectionem Vaticani scriptor coniunxerit: id quod alibi quoque in eo codice factum est, ut in loco de quo statim dicemus 28, 40, 9. Solam Spirensem, licet corruptam habent duo libri reliqui 48 (*hoc*

\*) [Über die letztere Hs. handelt, an Mommsen anknüpfend, H. Nohl im Hermes 3, 1875, S. 243 ff.]

*ingeris) et 63 (ingeris).* Similiter in loco 28, 13, 10 ipsam corruptelam *praelio quod*, quam ex Spirensi enotavit Rhenanus, ex nostris tres tantum libri proponunt, nempe iidem duo 48 et 63 et praeterea n. 65 sive Urbinas 424 a manu prima. Paullo mutata, nempe *prelio quo*, legitur in libris duobus supra dictis n. 37 in margine et n. 55, interpolata in *prelio equo* in aliis novem (5. 13. 17. 20. 24. 41. 57. 68. 78). Quae cum ita sint, ante omnia necessaria erit secundariarum codicis Laurentiani lectionum plena et accurata enotatio; praeterea autem Vaticano quoque libro collato opus erit. Nam non ex ipso Laurentiano eum descriptum esse inde colligitur, quod non raro Spirensia habet in ea margine aut non reperta aut aliter tradita. Ita 28, 41, 1 *cognoscere*, quod errore legitur in Spirensi pro *ignoscere*, adest in Vaticano a manu prima, cum non sit in margine Laurentiani; item paullo post verba in Spirensi solo servata *bono publico paeponam* recte habet Vaticanus, *perponam* errore scribit Laurentianus. Etiam libri duo 48 et 63 quamquam pro Spirensi lectione passim Puteanam habent vel ex Puteana immutatam, hic etiam inter hunc et sequentem ordinem nescio quomodo medius stat, fortasse cum aliquo fructu executientur. Contra novem illi libri, quos vidimus consentire in lectione interpolata *prelio equo*, cum longius absint a communi origine, tuto praetermitti poterunt, cum praesertim etiam aliis locis iidem fere libri consentiant in lectione ex Puteana et Spirensi contaminata. Sic 28, 40, 2 *aliter id fieri P, id aliter finiri S, aliter id finiri* et 48. 55 et 5. 17. 20. 41. 57. 65. 68. 78. Item 28, 40, 9 *et mea ratio P. 37<sup>a</sup>, aemulatio S. 37<sup>b</sup>, uel emulacio et mea ratio 55<sup>a</sup>, uel emulatio* 5. 13. 17. 20. 41. 55<sup>b</sup>. 57. 68. Tam hos autem quam praedictos (37<sup>b</sup>. 48. 55. 63) inter eos, quibus omnino affinitas est cum Spirensi, propriam familiam efficere cum alia argumenta sunt tum maxime 71 quod excepto uno libro infimae aetatis 41 additamento insigni, quod ad 26, 41, 18 suppeditat liber Spirensis, hi omnes destituuntur eoque tamquam vinculo arte inter se copulantur. Descendunt opinor haec antiquae scripturae testimonia ex Spirensi libri relectione instituta non ante saeculum XIII ita, ut magnum illud additamentum cum margo non reciperet, aut omitteretur aut seorsum perscriptum postea periret. Laurentiano adscripta varia lectio num universa Spirensi accepto ferenda sit, ab ulteriore examine pendebit; in specimine quod mihi praesto est diversae originis indicia non repperi.

3. Quod si reliquos libros examinamus cum Spirensi aliqua ratione coniunctos, qui sunt fere magnum illud additamentum habentes numero quinque et viginti, sed ut ad sex eorum id manus secunda demum adiecerit, statim intellegitur, id quod consentaneum est,

utriusque familiae lectionum contaminationem per gradus crevisse et cum nullus liber extet a lectionibus Puteani immunis, alios per pauca ex Spirensi traxisse, alios plura, alios denique ita comparatos esse, ut multo saepius cum Spirensi quam cum Puteano faciant et quidquid ad illius notitiam ex hoc quidem librorum genere colligi possit, exemplaribus non ita multis contineatur, quibus determinatis reliqua recte omittentur. Iam ut intellegatur hi libri quinam sint, selectis lectionibus quibusdam libri Spirensis minus vulgaribus codices adscripti, in quibus praeterea invenirentur. Adscripti item potiorum ordinis prioris librorum (scilicet 37<sup>b</sup>. 48. 55. 63) numeros, ut utraque familia quatenus Spirensis proprietatem reaesentet ex hoc indice quatenus pervenit uno obtutu comprehendatur. Asteriscum ubi adieci, codex is de quo agitur lectionem Spirensem habet paullum immunitam.

															accedunt ex ordine priore:	72
27, 20, 9	magis <i>P</i> , astu magis <i>S</i>	19	*25	27 <sup>b</sup>	28	32	34	*43	*47	50	64	69	73	37 <sup>b</sup>	63	
27, 33, 5	p. <i>P</i> , procos. <i>S</i>		27 <sup>b</sup>			32	34	43	47	50					63	
27, 34, 4	careret <i>P</i> , caruerit <i>S</i>			28		32	43	47	50	64					63	
28, 39, 18	alia eis <i>P</i> , alii aliis <i>S</i>	25	28	*32	34	43	47	*50			73				63	
» » 19	praebrei <i>P</i> , prae- bere <i>S</i>		28			34	43		50	57 <sup>a</sup>						
» » »	dena <i>P</i> , dece <i>S</i> , decem:		28			34	43	47	50							
» 40, 1	esse <i>P</i> , om. <i>S</i>		28	32	34	43	47	50			73				63	
28, 40, 2	aliter id fieri <i>P</i> , id aliter finiri <i>S</i>		28	32	34	43	47	50		*65				*48 *55	63	
» » »	transportaret <i>P</i> , transportasset <i>S</i>	25	28	29 <sup>b</sup>		34	43	47	50							
» » 4	certa iam <i>P</i> , iam certa <i>S</i>		28	32	34	43	47								63	
» » 10	apud populum <i>P</i> , ad populum <i>S</i>				32	34	43	47	50		65	73	37 <sup>b</sup> 48	55	63	
» » 13	iam uiendo non <i>P</i> , uidendo iam non <i>S</i>					34			58						63	
» » 14	parta <i>P</i> , parata <i>S</i>		28 <sup>a</sup>	29 <sup>a</sup>		34	43	47	50		74	37 <sup>b</sup> 48	55 <sup>b</sup>			
» 41, 1	ignoscere <i>P</i> , cog- noscere <i>S</i>					43	47		53 <sup>a</sup>					48 55 <sup>a</sup>	63	
» » »	rem publicam <i>P</i> , re imperatorum <i>S</i> , rem imperatorum:	25	28	29 <sup>b</sup>	32	34	43	47	50					48	*63	
» » 3	p. <i>P</i> , om. <i>S</i>		28	32	34	43	47	50			74				63	
» » 12	sufficiamus praeben- dis <i>P</i> , prebendis sufficiamus <i>S</i>		28	32	34	43	47	50		73					63	

Codices igitur, qui in cognatione cum deperdito Spirensi p[re]re reliquis eminent, sex numero sunt hi: 28 = Londiniensis Burn. 198; 32 = Londiniensis Harleianus 2781; 34 = Marcianus 364; 43 = Laurentianus LXIII, 17; 47 Laurentianus XIX sin. 8; 50 = abbatiae Florentinae, p[re]ecedenti simillimus. Descendere autem videntur ab exemplari descripto ex ipso Spirensi;\*) aliter enim vix explicari poterit, qui factum sit, ut hunc potissimum sequantur non solum ubi errat, sed etiam in vocabulorum omissione et verborum collo-  
catione similibusque aliis, quae descriptorem, non recognitorem arguunt. Denique dupicum lectionum vix ulla vestigia in his reperi.

Sed ut qui primarium huius familiae librum exaravit ipsum Spirensem descripserit, idem item adhibuerit necesse est exemplum alterum familiae diversae. Nam ut mittam quibusdam locis Spirensem lectionem in nullo huius ordinis libro comparere (ut in loco supra p. 70 [155] tractato 28, 41, 8 *haec ingeris* nullus eorum habet, sed omnes cum Puteano *accingeris*), ipsum illud additamentum fictium ad

- 73 26, 41, 18, quo interpolata Puteani exempla tamquam mala nota distingui diximus, etiam in his libris omnibus ita adest, ut verum additamentum ex Spirensi desumptum fictio illi medium inseratur. Quam ob rem huius familiae ipsum archetypum exemplar contaminatum fuit ex Puteanae recensionis interpolatae aliquo et ex Spirensi, sed ut Spirense describeretur, alterum hic illic inspiceretur. Exemplaria deinde ex hoc archetypo propagata passim immutata sunt ita, ut alterius ordinis lectio Spirensi substitueretur; multis enim locis, ut supra vidimus, in aliis huius ordinis libris Puteana lectio reperitur, in aliis remansit Spirensis. Primarius autem inter huius familiae libros est opinor is qui et temporis ordine primus est scriptus a. 1389 n. 34 Marcianus omnium rarissime a Spirensi recedens; ita 28, 40, 13 genuinam Spirensis lectionem *uidendo iam non solus* fere exhibet, cuius loco reliqui huius familiae 28. 32. 43. 47. 50 substituerunt lectionem *uiuendo iam non* Spirensi ad Puteanam (*iam uiuendo non*) emendata. Quamquam Marcianus quoque 28, 41, 1 verum *ignoscere* Puteani recepit, non errorem Spirensis *cognoscere* servatum in libris duobus Laurentianis scriptis a. 1421 et 1455. Praeterea is a quo hi libri originem ducunt verba non raro sua conjectura emendavit vel interpolavit. Ita 28, 13, 10 cum in Spirensi repperisset *numquam praelio quod insequentis*, in exemplaribus ex Puteano derivatis aliquotiens sequentes (om. *numquam*), conjectura non infelici reposuit *numquam aliquot*; sic enim libri 28. 32. 34. 43.

\*) [Dies ist von Luchs S. XV ff. widerlegt worden.]

47. 50 praeter alios non paucos ex contaminatis. Item 28, 40, 1 pro *P. Scipioni* in quattuor eorum 28. 32. 34. 43 est *P. Cornelio Scipioni* et paulo post pro *finiendum* in omnibus 28. 32. 34. 43. 47. 50, item in 46 *diffiniendum*, a quibus interpolationibus et *PS* immunes sunt et reliqui libri omnes. Quam ob rem etiam optimi quique huius stirpis libri vel adeo omnes consentientes caute adhibendi sunt, cum lectio huic familiae propria tam ex interpolatione profecta esse possit quam ex codice Spirensi. Ceterum longe plenius haec familia quam quae praecedit Spirensis deperditi proprietatem repraesentet necesse est, si quidem non a recognitione eius pendet, sed ab exemplari saeculo opinor XIV exeunte inde sumpto.

4. Denique dicendum est de ratione quae intercedit inter ordines duos quos posui priorem ortum ex recognitione Spirensis codicis repraesentatum libris nostris 37<sup>b</sup>. 48. 55. 63 et posteriorem pendentem ex codicis Spirensis apographo passim interpolato repraesentatum libris nostris 28. 32. 34. 43. 47. 50. Ante omnia ne quis statuat priorem ordinem non pendere ex ipso Spirensi, sed ex exemplari aliquo ordinis posterioris, examinatis singulis reperiet prioris ordinis testimonia et differre magnopere ab altero et fere his praestare. Ita supra iam monuimus 28, 41, 8 lectionem Spirensis *haec ingeris* 74 a priore ordine satis accurate servatam in posteriore nusquam reperi; item 28, 13, 10 optima quaque prioris ordinis exempla corruptelam Spirensis accurate repraesentare, posterioris ordinis libros lectionem substituisse ex duplice tradita ingeniose effectam. Similiter 27, 34, 1 [?] verba a solo Spirensi servata plena leguntur in ordinis prioris libris quibusdam, in posterioris omnibus dimidiata. Unus autem liber singulari casu utrumque genus in se recepit, scilicet 63 = Palatinus 876. Prioris hunc ordinis esse dubitari non potest, cum propter lectiones tum quod additamento primario (26, 41, 18) caret: sed tam multa recepit ex ordine posteriore priori praeterea plane ignota, ut qui archetypum eius exaravit duo exemplaria habuisse videatur, alterum prioris, alterum posterioris ordinis et cum illud descriptsisset, ex hoc quaedam adnotasse. Sane vel propter hanc peculiarem libri condicionem optandum est, ut qui haec studia in se suscipiat eum quoque licet fortasse memorabilem magis quam vere utilem diligenter inspiciat. Liviani annales quid profecturi sint ex eiusmodi labore certe ingenti, hodie divinari non potest; Spirensis tamen libri lectio multis locis sperandum est fore ut certa ratione recuperetur, modo recte posuerimus praeter Rhenanum duobus testibus nos de eo uti recognitore et descriptore. Nam cum ipsi testes nequaquam exceptione maiores sint, consensus eorum aliquantum ponderis habebit.